Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dextera tua discedere à famula tua. N. non diutius præ-
sumat tenere captiuum hominem, quem ad imaginem tuã
facere dignatus es: Adiuro te ergo serpens antique per iu-
dicem uiuorum ac mortuorum, per factorem mundi, per
eum qui habet potestatem mittere in gehennam, ut recedas
ab hac famula dei. N. qui ad sancta Ecclesiæ cucurrit præ-
sidia cum metu et exercitu furoris tui, festinans discedas.
Adiuro ergo te maledicte Diabole, non per meam infirmita-
tem, sed per uirtutem sancti dei, ut recedas ab hac famula
dei. N. quem omnipotens deus ad imaginem suam fecit.

Hic uersa manu percutiat in latus eius.

Cede, cede, non mihi, sed ministris Christi: Illius enim te
perurgeat potestas, qui te affixus cruci suæ subligauit
potentiæ, illius brachium contremisce, qui deuictis
gemitibus inferni, animas ad lucem produxit. Sit tibi
terror corpus hominis: sit tibi terror imago dei, nec
resistas, nec moreris discedere ab homine isto. N. quo-
niam placuit Christo ut in homine habitaret, et ne me
infirmissimum contemnendum putes, dum me nimis
peccatorem esse cognoscis. Imperat tibi dominus, imperat
tibi maiestas Christi, imperat tibi Deus pater, imperat
tibi filius, et spiritus sanctus, imperat tibi Apostolorũ
fides Petri et Pauli, seu cæterorum apostolorum, imperat